

Der Text (Seneca, *Epistulae morales* 53 [gekürzt]) ist zu interpretieren:

1                    *SENECA LVCILIO SVO SALVTEM*  
2    *Quid non potest mihi persuaderi, cui persuasum est ut*  
3    *navigarem? Solvi mari languido; erat sine dubio*  
4    *caelum grave sordidis nubibus, quae fere aut in aquam*  
5    *aut in ventum resolvuntur, sed putavi tam pauca milia*  
6    *a Parthenope tua usque Puteolos subripi posse,*  
7    *quamvis dubio et independente caelo. Itaque quo celerius*  
8    *evaderem, protinus per altum ad*  
9    *Nesida derexi praecisurus omnes sinus. Cum iam eo*  
10   *processissem ut mea nihil interesset utrum irem an*  
11   *redirem, primum aequalitas illa quae me corruerat*  
12   *periit; nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris*  
13   *ac subinde crebrior fluctus. Coepi gubernatorem*  
14   *rogare ut me in aliquo litore exponeret: aiebat ille*  
15   *aspera esse et inportuosa nec quicquam se aequae in*  
16   *tempestate timere quam terram. Peius autem vexabar*  
17   *quam ut mihi periculum succurreret; nausia enim me*  
18   *segnis haec et sine exitu torquebat, quae bilem movet*  
19   *nec effundit. Institi itaque gubernatori et illum, vellet*  
20   *nollet, coegi, peteret litus. Cuius ut viciniam attigimus,*  
21   *non expecto ut quicquam ex praeceptis Vergilii fiat,*  
22                    *obvertunt pelago proras*  
23   *aut*  
24                    *ancora de prora iacitur:*  
25   *memor artificii mei vetus frigidae cultor mitto me in*  
26   *mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus. Quae*  
27   *putas me passum dum per aspera erepo, dum viam*  
28   *quaero, dum facio? Intellexi non inmerito nautis*  
29   *terram timeri. Incredibilia sunt quae tulerim, cum me*  
30   *ferre non possem: illud scito, Ulixem non fuisse tam*  
31   *irato mari natum ut ubique naufragia faceret:*  
32   *nausiator erat. Et ego quocumque navigare debuero*  
33   *vicensimo anno perveniam. Ut primum stomachum,*  
34   *quem scis non cum mari nausiam effugere, collegi, ut*  
35   *corpus unctione recreavi, hoc coepi mecum cogitare,*  
36   *quanta nos vitiorum nostrorum sequeretur oblivio,*  
37   *etiam corporalium, quae subinde admonent sui, nedum*  
38   *illorum quae eo magis latent quo maiora sunt. (...)*  
39   *Quare vitia sua nemo confitetur? quia etiamnunc in*  
40   *illis est: somnium narrare vigilantis est, et vitia sua*  
41   *confiteri sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, ut*  
42   *errores nostros coarguere possimus. Sola autem nos*  
43   *philosophia excitabit, sola somnum excutiet gravem:*  
44   *illi te totum dedica. Dignus illa es, illa digna te est: ite*  
45   *in complexum alter alterius. Omnibus aliis rebus te*  
46   *nega, fortiter, aperte; non est quod precario*  
47   *philosopheris.*